

vestierint in hac vita, securi erunt a rigore iudicis in altera. Ubi hujus assertionis fides et *Salva guardia*? Nahum c. l. v. IX. ait: *Non consurget duplex tribulatio*. Septuaginta vertunt: *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione*. Unde emanavit theologorum axioma: *Deus non punit bis in ipsum*. Quicumque ergo seipsos in hoc sæculo puniunt ob peccata sua, sperare utique poterunt, non puniendos se in altera. Qua de re audiamus Chrys. hom. XLIII. in Matth. « Assidue, inquit, mentem ad hunc terrorem revoca, (teipsum scilicet iudicando) deinde si causam suam dicere non possit, sed subterfugiat et detrectet: quasi superbam ancillam et fornicatione corruptam cade, verberibus ac flagellis dilania, etc. » Et mox: « Quod si hæc audiens doleat, non subtrahas manum: non enim moritur percussa, sed mortem effugiet, etc. » Et infra: « Id si quotidie diligenter facies, terribili futuri iudicis tribunali lætus assistes. » Certe Ninivita quando se cilicis operuerunt et cinere consperserunt, Dei gladium in se vibratum suspenderunt: ita ut quem prius severum iudicem expectarunt, postea defensorem et advocatum contra Jonam habuerint. Hinc S. Paulinus ep. X. *Ninivita*, inquit, *meruerunt demeritatum evadere excidium, qui se spontaneis luctibus cruciando divinam sententiam prævenierunt sua*. Pari modo Achab iratum sibi ob flagitia sua Deum placavit, quando induit carnem suam cilicio, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite, ita ut mutaret etiam Deus sententiam in ipsum latam, et in ejus pœnitentia complacentiam haberet, III. Reg. XXIII. « Quod si Achab, (inquit Petrus Damianus epist. VIII. ad clericos Florent. lib. V. epist.) reprobis videlicet regis, cilicium divina pietas non contempsit, quam benigne, quam misericorditer illum desuper aspectare credendus est, qui se velut in atrocissimo crimine deprehensum, nudum divinis aspectibus obtulit, accusatorem pariter et tortorem: reum simul et testem: censorem nihilominus et carnificem fecit. »

III. *Lauri* etiam *fruticem fulmen non icit*, ait Plinius loc. cit. Hinc Julius Cæsar, *qui tonitrua præter modum expavescebat, turbatiore caelo nunquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis*, ait Suetonius in Cæsare. Laurus arbor ad modum salutifera est, nam et folia et fructum ejus et oleum inde expressum variis morbis medentur, ut referunt Isidorus, Dioscor. Plin. lib. XXIII. c. VIII. quare hominæ denotat misericordiæ operibus deditum, qui instar Samaritani illius oleo lenit afflictorum vulnera et miseras. Hinc in die iudicii protectorem habebit ipsum Deum, teste Ecclesiastico c. III, dicente: « Deus pros-

pector est ejus qui reddit gratiam » (hoc est) eleemosynam, uti omnes exponent (*Meminit in posterum*) factæ scilicet eleemosynæ (*et in tempore casus sui inveniet* (eleemosynarius) firmamentum), quando scilicet cadet moriendo, eleemosyna eum sustentabit, atque elevabit. Cum enim eleemosyna per manus pauperum transeat ad manus Christi, ipsius nostri iudicis, quis non speret de ipso, quem gratis et desideratis muneribus sibi demulsit? Confirmat hoc imprimis S. Chrys. hom. XXXIII, ad popul. declamans: « Hæc (eleemosyna scilicet) Christi adstat tribunali, non tantum patrocinaus, verum et ipsi persuadens iudici, ut reo patrociniū præstet et pro eo sententiam ferat: et licet millies peccaverit, coronat et victorem promulgat; ait enim: Date eleemosynam et omnia erunt munda. » Idem promittitur Ps. CXI. ubi dicitur: *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iudicio*. Et mox *Ab auditione mala non timebit*, h. e. a sententia illa iudicis: *Ite maledicti*; ut exponit S. Hieron. epis. XL. Confirmatur hoc idem Ps. XL. verbis illis: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*. In quem locum S. Augustinus ait: *Dies iudicii aderit: mala dies, si non intelligeres super egenum et pauperem*. Et S. Petrus Chrysologus serm. XIV. « In die mala illi Deus liberator assistet, quia a malis pauperem liberavit, etc. » In hujus rei etiam majorem fidem exhibuit Deus præludium aliquod in justo illo Loth, Gen. XIX. qui quoniam peregrinos duos (erant autem angeli) invitavit, imo compulsi ut ad domum suam divertent: idcirco imminente jam urbis incendio vicissim compulsus est ab angelis ad emigrandum e civitate et salvandum se cum suis. Qua de re S. Hildebertus Cenomanensis episcopus epist. IX. ait: « Non leguntur alia Loth benefacta, quam hospitalitas: hæc illa hostia fuit, hoc sacrificio ignem et sulphur evasit, Sodomorum tota servata est familia unius meritis. » Et epist. LXII. « In calo nulli melius pro reis agunt, quam pauperes advocati: pauperes ante supremum tribunal in propulsandis dilationibus obtinent principatum. Unde fit ut bene speret de iudice, quisquis pauperem meretur interventurum; pro quo eorum voces convalescunt, sententiam non timet capitalem. » Et quodnam fuit solatium prudentum virginum, quando clamor factus est: *Ecce sponsus venit?* Nonne oleum, quod in vasis reconditum habuerunt, provisum ad conservandas lucernas? At oleum illud misericordiæ opera designat, omnium sententia. Prudentes illæ fuerunt: quia *Intellexerunt super egenum et pauperem*. Qua ratione vulgo dicunt, qui opus aliquod facere detrectant: Non intelligo hanc rem. Hoc sensu

avari non intelligunt super egenos. Verum neque Christus iudex intelliget super eos, cum eis dicit: *Nescio unde sitis*. Luc. XIII.

IV. *Fulmen nunquam quinque altius pedibus descendit in terram: ideo pavidi altiores specus tutissimos putant*, ait Plinius loco cit. In specus intrare solent pavidi, ibique ab insidiis se tueri. Quisque ergo timorem Dei et iudicii extremi continuum in pectore suo gesserit, ille præsidium invenit, ubi securus erit a fulmine iudicis terrifico. Fidem huic verbo facit Ecclesiasticus cap. I. his verbis: *Timent Deum bene erit in extremis: et in die defunctionis sue benedicetur*. h. e. in die obitus et iudicii sui audiet: *Venite benedicti*, ut exponit Paulus de Palatio et Hugo card. Imo S. Chrysostomus hom. II. in II. ad Thessal. scribit: « Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium effugit. Quemadmodum enim apud nos qui quidem iudicia veriti iudicis, non damnantur; qui vero contemnunt, illi potissimum in ea incidunt: ita et hic. Nisi subversionem veriti fuissent Ninivita, utique subversi fuissent. Quia vero illam metuebant, non subvertebantur. Si diluvium veriti fuissent, qui temporibus Noe vixerunt, submersi sane non fuissent. » Carolus V. imp. cum ad præliandum egressurus armaretur laminis thoracibusque ferreis, initio dum armis indueretur, non parum corpore horrebat, ac toto vultu albescere quasi pavescens: sed armatus jam et loriceus atque galeatus leone animosior erat: in prælio ad bombardarum ictus nusquam caput inclinabat, nusquam pedem movebat, nusquam expallescebat. Guillelmus Zenocatus lib. V. de vita Caroli. Hunc in modum quisquis ante iudicium illud severissimum, dum hic ad subeundum armatur et præparatur, timet: in ipso postea iudicio nihil trepidabit, sed leone cordatior erit. Hujus rei specimen deprehendimus in ipso summo imperatore nostro, Christo. Hic enim ad montem Oliveti pergens cœpit pavere, tædere et mœstus esse; ibique se ad passionem et mortem per orationem armans, etiam dum ab Angelo confortatur et quasi armatur, timet ac præ timore sanguinem sudat. At in prælio jam passionis suæ, ipsaque cruce constitutus nihil amplius trepidat, sed quasi extra omnem teli jactum in summa securitate et libertate potius agit, prodit obviam cohorti, proditorem excipit osculo, amicum vocat, cohortem prostratam surgere permittit, aurem Malcho restituit, Petrum reprehendit, cohortem docet et redarguit, imperat ut suos abire sinant: abhinc bajulans sibi crucem, docet et solatur in via mulieres, in cruce orat pro inimicis, latroni promittit paradisum, matri assignat Joan-

nem, etc. Advertit hoc sanctus Chrysostomus hom. LXXXIV. in Joannem. « Considera, inquit, quomodo omnia sine perturbatione transegit. Matrem discipulo commendavit, prophetias implevit, latroni spem bonam dedit, qui antequam crucifigeretur, sudavit, turbatus est, timuit. » Pari ratione, si ante diem illum decretorium per timorem Dei et iudicis illius tremendi nos jam armaverimus non erit quod metuamus, sed gaudeamus potius in conflictu illo ultimo. Id quod sane deprehensum in vitis plurimorum justorum uti in fratre sancti Bernardi Gerardo, qui in morte jubilabat: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis*. In sancto Francisco, qui morti vicinus in gravissimis doloribus laudes Deo canebat: dicens sibi non licere aliter facere. In Bernardo, primo ejus socio, qui moriens dicebat: *Nunc sentio quid sit in Dei timore vixisse. Nunc enim pro toto mundo nollem me aliam vitam instituisse. Nunc gaudeo et exulto, etc.* Ut in chronic. S. Francise. In Godefrido ex comite Coppenbergensi, canonico Præmonstrat. qui moriens gaudio perfusus: *Jam pro toto mundo paulo diutius in hoc nollem morari exilio*, apud Sur. XIII. Januar. In sancto Laurentio Justiniano Venetorum patriarcha, qui dum viveret sæpe in profundum sese humilitatis abiciens pertimescere videbatur a suis iudicium divinum. Morti vero proximus lætus fuit et hilaris, dicens ad suos circa lacrymantes: *Abite hinc cum vestris lacrymis, tempus lætitiæ est, non lacrymarum*. Rursum tam sacro oleo inunctus alios consolans: *Pudeat vos, inquit, mortem timere, cum Dominus noster propter nos mori voluerit: sed audi causam hujus confidentiæ et hilaritatis: Hunc diem, subdit, semper ante oculos habui, tu scis Domine*. Ita refert Bernardus Justinianus testis oculatus apud Surium VIII. Januarii.

## CONCIO V.

DULCES FRUCTUS FIGUS LAUDATE QUÆ EST VIRTUS. I. Quia virtute præditi foventur a Deo. — II. Explicat se in altero demum sæculo. — III. Emergent e miseris in die illa. — IV. Vitam hic amarum, ibi suavem habent. — V. Stabilem in cælo felicitatem expectant.

## THEMA.

*Videte ficulneam*, Luc. XXI.

Iterum ad ficum ablegamur, auditores, in hodierno Evangelio; et quamobrem? Mea quidem sententia, ut si necdum satis absterreamur ab amaro fructu, quem afferre solet ficus peccatoribus prohibita (quæ est peccaminosa voluptas) nunc denuo absterreamur, vicissim ad oppositam peccato virtutem incitemur, consideratione



ficus salutiferae, quae suis cultoribus promittit dulcissimos aeternae gloriae fructus, post hanc vitam percipiendos. Ferunt taurum ferocem, si ad ficum arborem alligetur, ferociam deponere et mitescere, auctore Plutarcho lib. XXIII. c. VII. Multi feroces tauri, qui jugum divinae legis respuunt, passim vagantur, nec modica damna inferunt; hos igitur conemur alligare ad virtutis ficum sane dulcissimam, ut si nondum satis mitigati sunt consideratione pessimorum fructuum, quos gignit ficus, seu verius caprificus peccati vetiti, mitigentur saltem praegustu dulcissimarum ficuum, quas gignit ficulnea virtutis. Vidimus ante octiduum fructus amaros ficus silvestris, quae est peccatum, videamus nunc fructus dulces ficus domesticae, quae est virtus.

I. Ficus propter fructuum dulcedinem valde ab omnibus colitur ac custoditur. In frigidis regionibus includuntur ficulneae asseribus, et fornacum beneficio foventur calore, ne pereant, quod certe non fit aliis arboribus. Non secus justi et virtute praediti foventur a Deo, praesertim in adversitatis hieme et corporis aegritudine. Audiamus prophetam Ps. XXXIII. *Oculi Domini super justos, inquit et aures ejus ad preces eorum.* Et Ps. XC. qui totus de protectione justi scriptus est: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum.* Sed et alios testes audiamus. In tribulatione, ait sanct. Laurentius Justinianus, de triumphali Christi agone, capite vigesimo quinto, *Deus justos comitatur, ut illos in praesenti eripiat, et glorificet in futuro: comitatur ipsos in negotiis, ne delinquant: in periculis ne cadant: in dubiis ne errent, ne hujus vitae consolationem amittant.* Testis Noe, quem a diluvio: Abraham, quem a Pharaone et Abimelech: Isaac, quem a gladio patris: Jacob, quem a furore fratris, misso angelorum exercitu (Genesis trigesimo secundo) Joseph, quem a fratrum odio: Elia, quem a furore Jezabelis: Eliasao, quem ab hostium insidiis per faciem Angelorum (IV. Reg. VI.) custodivit et eripuit. Id fatetur in primis Jacob. Gen. XLVIII, illis verbis: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Quid vero dicemus de novae legis Patribus? Ex paucis et parvis multa et magna colligemus. S. Anselmus archiepiscopus Cantuar. gravi morbo decumbens, cum nihil cibi sumeret, fatigatus diu precibus, ut quid tandem gustare vellet, ediceret: *Forte, ait, de perdice comederem, si haberem.* Ergo per campos ministri abeunt, perdicem quaesitum, sed incasso labore, eodem tamen die, unus de ministris per silvam abit aliud agens, et en occurrit ei martes, perdicem ore gestans, quae viso homine praedam mox dimisit et fugit. Qua domum delata vir s. inde refectus melius mox habere coepit, sensimque sanitatem recuperavit. Edinerus in

vita apud Surium XXI. Apr. D. Thomas Aquinas ad concilium Lugdunense proficiscens, in via morbo, qui ejus appetitum fere omnem deiecit, correptus ad castrum neptis suae divertit. « Scisoitanti vero medico Joanni de Guidone, nunquam cibum appeteret, ille respondit: Si haleces possent obtineri, quales habentur Parisiis, fortassis liberet iis vesci. Sed hi pisces hic non exstant. Abeunte autem Medico quidam obviam venit pisces ferens, quos sardas vocant. Illas medicus emit, ut ubi attulit domum, in haleces mutati sunt. Ubi vero ad S. Thomam recentes haleces, quae nunquam iis in locis feruntur haberi, allatae, ille divinam admiratus benignitatem, noluit eas in cibum sumere, imitatus s. Davidem regem, qui cupitam aquam ex cisterna Bethlehemitica haustam noluit bibere, sed libavit eam Domino. » Ita in ejus vita apud Sur. VII. Mar. Recentius est, quod de Petro Canisio scribit in ejus vita P. Matth. Raderus. Is cum morbo decumberet, et ab omni cibi appetitu perditio saepius a ministro urgeretur ut indicaret, quo cibi desiderio teneretur, tandem aviculam nominavit. Sed cum vernalis nulla inveniretur, una quaedam in cubiculum ejus per fenestram sese inferens, quasi divinitus missa, facile se capi permisit, ex qua ille parata laute se coenasse dixit.

II. Ficus per hiemem quidem nullam praese fert excellentiam praeter caeteris etiam aridis arboribus; caret foliis et fructibus, nec ulla re discernitur ab aliis quasi praestantius aliquid in ipsa lateret. Verum ineunte vere sese demum explicat, et virorem ac dulcedinem suam hominibus commonstrat. Sic res habet cum viris justis. Latet in hoc mundo sanctitas ipsorum, magna ex parte, nec facile est dignoscere eos ab injustis. At vero in resurrectionis vere, de quo loquitur Christus sub parabola ficus in hodierno Evangelio, ibi suum decorem et virtutis gloriam expandent. Ita S. Augustinus sermone CCXII. de Temp. « Tempore hiemis, (inquit,) et arbor quae ares, et arbor quae viget, utraque nuda est onere foliorum, utraque vacua onere frugum: veniet aestas et discernet arbores. Viva radix folia producit, impletur fructibus: arida inanis aestate sicut hieme remanebit. Itaque illi horreum praeparetur, huic securis adhibeatur, ut amputata in ignem mittatur. Sic aetate nostra Christi est adventus, hiemis nostra Christi occultatio, aestas nostra Christi revelatio. » Quod declarat illo Apostoli ad Col. III. *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: (en hiemem) cum autem Christus apparuerit vita vestra; (en aestatem) tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* herba cynosbatus per diem inter caeteras herbas, a quibus ne minimum quidem differt, delitescit, nec ullo modo agnoscitur.

Nocte vero stellae instar lucens et igneo splendore coruscans, facile in conspectum venit. *Elia. de anim. l. XIV. c. XXVII.* Sic electi in hac praesentis vitae die latent inter reprobos: veniet nox post mortem, quando discernentur et lucebunt velut stellae in perpetuas aeternitates. Praesagium hujus splendoris ac viroris praemisit Deus in virga Aaronis post ariditatem florum germina emittente, quasi turgentes gemmas; Num. XVII. et in arido ramusculo, qui a S. Hatwico episcopo Salisb. in die S. Andreae, decerptus ex arbore silvae dum per illam transiret, in manu ejus floruit, ut in ejus vita Henr. Canisius apud Lipel. XIV. Jun. Sic enim in die iudicii revirescent ac floreant justus, qui hic ab aridis arboribus, peccatoribus videlicet, nihil videbantur discrepare. Unde illis dicitur Isa. LXVI: *Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.* Dicunt Hebraei cum Rabbi Salomone hoc accidisse prophetae, qui occisus fuit a leone, III. Regum, XIII. justus alioquin. Nam cum propheta alter fallax et malus in ipsius tumulo sepeliri petisset, ac denique sepultus esset, factum, ut ex parte sepulchri, quam justus occupabat, speciosi flores, ex altera vero qua iniquus jacebat, spinae et urticae eruperint. Quod seu verum seu fictum sit, verificabitur certe in die iudicii; cum ex eodem sepulchro, in flores germinabunt ossa sanctorum, in spinas et tribulos ossa reproborum.

III. « Lignum ficus Aegyptiae, inquit sanctus Augustinus l. XXI. de civit. c. V. non ut ligna caetera in aquis natat, sed mergitur; et quod est mirabilis, cum in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquae superficiem sursum emergit; quando madefactum debuit humoris pondere praegravari. » Idem contingit justis. In hoc saeculo deprimuntur et merguntur in aquas miseriarum, calamitatum et lacrymarum: at in altero saeculo et iudicii die emergent atque eveherentur ad summam dignitatem. E contra vero impii hic quidem supernant et triumphant, implenturque bonis hujus saeculi, velut ligna aquis, quibus innatant: verum ibi postquam impleti fuerint, subsident et mergentur in abyssum. Jacuit humi Lazarus justus ante fores divitis, et nemo eum aspexit aut curavit, quasi in fundo aquarum demersus foret: sedit vicissim Epulo in throno et natavit in deliciis suis; verum in morte Lazarus ab angelis elatus est in sinum Abrahae, unde demum enavit ad caelestem gloriam, Epulo vero demersus et sepultus est in infernum. Hinc Job c. XII. ait: *Deridetur justus simplicitas. Lampas contempla apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* Quod explicat S. Greg. l. X. mor. c. XVII. in hunc sensum: « Bene justus simplicitas et lampas esse

dicitur, et contempta lampas, quia interius lucescit; contempta, quia exterius non lucescit. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lampas ergo contempta est justus: quia superbi quique dum pensare bona sequentia nequeunt, pene nihil aestimant, quos non vident habere quod ament. Statutum autem contemptae lampadis tempus est, extremi iudicii praedestinatus dies; quo justus qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat demonstratur. » Fuit sane talis lampas ipse sanctus Job, cum premeretur calamitatibus, et sedens in sterquilinio despicere ab amicis, ipsaque uxore, verum emerit iterum et maximas in divitias ac gloriam assurrexit. Fuit talis lampas etiam Mardocheus prius in aula Assueri, cujus fidelissimus custos erat neglectus et contemptus, sed usque ad statutum diem, quo in lucem productus et equo regio impositus est; cum vicissim Aman, qui prius ab omnibus adoratus natabat in aula regis, postea inde ejectus et cruci affixus est.

IV. Ficus amarissimas habet radices et stiptem, fructum vero dulcissimum, teste Plut. l. 6. Symposiaci, et quidem duplicatum (bifera scilicet) primum in Junio, alterum in Septembri. Eodem modo justus radicem habent amarum, vitam praesentem tribulationibus plenam; verum in futura proferent fructus dulcissimos, et resurrectione quidem duplicatos, glorificationem scilicet corporis et animae. Hujus rei typum praemisit Deus in Job, qui post degustatas amarissimas afflictiones, dulcedinem infudit et pro amissis bonis restituit duplicia; pro sentem millibus ovium dedit quatuordecim millia, pro tribus millibus camelorum sex millia, pro quingentis asinis mille asinos: pro decem liberis, septem scilicet filiis et tribus filiabus, non quidem duplicatos (ad felicitatem enim non admodum facit liberorum immodica multitudo et deinde numerus electorum, per denarium illum, velut numerum perfectum designatus, stabilis et immutabilis est) sed totidem alios, septem filios et tres filias, easque longe speciosissimas, ita ut pares pulchritudine nullibi invenirentur. Voluit nimirum Deus temporali ac laborum Jacobianorum compensatione mundo ostendere quid in altero saeculo justus expectare ab eo possint. Id ipsum pulchre Job in suarum filiarum nominibus expressit: primam enim filiam appellavit Diem; ideo ait auctor Catenae, « Quod ab obscurissima aërumnarum nocte ad felicitatem restitutam divinitus quasi ad diem lucem aspiendam esset revocatus. Secundam Cassiam appellavit, quod jam is odoris quadam suavitate bonorumque voluptate frueretur. Tertiam Amaltheae cornu (noster interpres legit Cornustibium) quod vitam deinde vixerit omni bono-



rum genere peraffluentem. » Non multo aliter S. Isidorus in vita S. Job apud Lipel. 10 Maii : « Post noctis tristitiam, inquit, diem genuit : post foetorem ulcerum cassiæ odore fragavit : sed et post abjectionem cornu inunctionem regni promeruit, et tibiam in acceptum laudis accepit. » Ad hæc quia prius in tenebris stravit lectulum suum (Job. XVII.) et ærumnosam duxit vitam, securæ felicitatis memor, primam filiam appellavit *Diem* quasi jam e tenebris ad lucem emersisse. Quam in sterquilinio inter vermes et ulcera foetorem perceperat horribilem, secundam appellavit *Cassiam*, cujus odor est purus et gratissimus. Quia a vermibus corrosus et macie consumptus atque exsanguis omnem perdidit speciem; tertiam appellavit *Cornustibium*, quod est vas candoris ac ruboris medicamento plenum, quo picto facies alienum, sed gratum colorem induit atque ostendit. Sic nimirum electis in altero sæculo luctus omnis in gaudium convertetur. Mardocheus prius sacco indutus, postea purpura et torque ornabitur. David ante pugnam sago pastoritio vestitus, postea pretiosis Jonathæ vestibus induetur. Arca per desertum pellibus cooperta, postea auro vestietur et in templum inferetur.

V. Ficus quando germinat, hiemem jam præterisse, nec ejus frigora amplius pertimescenda, sed æstatem præ foribus esse nuntiat. Ita S. Chrysost. ho. XL. in Matth. « Quare, inquit, non ex aliis arboribus, sed potius de ficu sumit similitudinem æstatis? Quia postquam aliæ arbores vernare cœperint, frequenter evenit, ut accedens frigus præcidat æstatem, et iterum arbores indurescant : ficus autem, quia pene post omnes arbores vernat, difficile post ficum frigus intervenit. » Stabilem ergo æstatem nuntiat ficus germinans. Et hæc summa atque immensa justorum consolatio est, stabilis et æterna quies ac beatitudo in cœlo, ab omni timore et tristitia libera atque libera. De qua Apoc. VI. Joan. ait : *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus.* Ubi alludit ad milites, qui post labores, vigilias, stationes sub dio velitationes, prælia, quiete et

bravio donantur; sic enim justos in hac vita certantes fortiterque tolerantes omnia adversa, transacto certamine, ab iis omnibus fore deinceps immunes, et perpetuum triumphum acturos. Ficus olim athletic dabatur : quod hominem corroborent. Secundum Isidorum et alios Christus suis athletic tales dabit ficus, quæ ita eos roborabunt, ut non esuriant, nec sitiant, neque æstuent neque frigeant in æternum. Quales et quam dulces ficus ! Sub regno Salomonis regis pacifici, cum jam nullus esset hostis Judæorum, nullus Satan, neque occursum malus, essetque pax ex omni parte in circuito, *Habitabat Juda et Israel absque timore ullo, unusque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis*, III. Reg. IV. Qui loquendi modus summam pacem et securitatem ab hostibus, latronibus, feris simulque summam rerum abundantiam indicat; quia pax mater est opulentiae et copiarum, deliciarum et gaudiorum. Sit continua per annos centum pax in terra nostra, quanta, putatis, erit rerum abundantia ! Quanta opulentia ! Quis luxus ! et delicia ! (Hæc enim de causa submittit Deus subinde pestem aut bella, ne crescente nimis rerum copia, crescat et malitia.) Quid igitur divitiarum ac deliciarum non dabitur in cœlo, ubi continua pax est, et securitas æterna ? Cum sedebit unus quisque sub ficu sua ? Quid enim ficus a Domino in hodierno Evangelio adducta aliud nuntiat, nisi futuræ æstatis in altero sæculo uberes et dulcissimos fructus ab electis percipiendos per omnem æternitatem ?

Quando igitur tam præclaros tamque optatos fructus gignit virtutis ficulnea, quis non excitabit in seipso horum fructuum appetitum ? Quis non strenue pugnabit, ut his dulcissimis ficibus saturari queat ? Certe Persarum regem Xercem, cum aliquando ficus et Græcia Atticas degustasset, inde accensum ferunt, ut Græciam bello peteret. Plutarch. In Apoph. Postquam ergo et nos nonnihil delibavimus præclaras virtutis ficus, accendamus etiam nos, ut pro iis comparandis fortiter pugnemus, quamdiu in hoc campo sub vexillo crucis militamus.

## DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

EVANGELIUM, MATTH. XI.

In illo tempore : cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mitens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es, qui venturus es, an alium expectamus ? Et respondens Jesus ait illis : Euntes, renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur : et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre ? Arundinem vento agitatam ? Sed quid existis videre ? Hominem mollibus vestitum ? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, et plusquam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

### CONCIONES.

- I. Quid faciendum per adventum.
- II. Judicii particularis processus.
- III. Judicii universalis et ultimi conventus.
- IV. Cur in mundo pauperes.
- V. Tria vincula justorum.
- VI. Vincula peccatorum, quibus retinentur.
- VII. Conscientia non offendenda.
- VIII. Luxus vestium reprehenditur.
- IX. Quinam instar arundinis varii et inconstantes.

- X. Documenta Evangelica.
- XI. Mystera.

#### CONCIONES AUCTUARI.

- I. Quibus in rebus aliqui scandalizati sint in Christo, unde magis eum amare debebant.
- II. Vestium luxus damnis et periculis plenus.
- III. Vestium luxus cœlo inhabilis.
- IV. Vestium luxus quousque illicitus.
- V. Pauperes a civitate sua alendi.

### CONCIO I.

QUID FACIENDUM PER ADVENTUM.

- I. Carni aliquid detrahendum. — II. Expianda conscientia. — III. Meditatio adventus Christi instituentia. — IV. Desiderium Christi instituentium. — V. Eleemosyna largius facienda, et præparatio ad communionem.

#### THEMA.

Tu es, qui venturus es ? Matth. XI.

Novimus, auditores, quando imperator ad aliquam civitatem imperialem venire, et comitia vel alia negotia ibidem peragere constituit, prius in ea urbe præparari illi domum, quam fieri potest amplissimam et splendidissimam tantoque principe dignam. Quod si facere detrectarent cives, nemo non de illis diceret : Isti vel contemnunt imperatorem suum, vel nesciunt an imperator sit. Expectamus nos, charissimi, imperatorem nostrum Christum prope diem venturum, et de magnis rebus in terra tractaturum de salute nostra. Videamus igitur nos,

mundi hujus cives, qualem huic imperatori domum præparemus. Davidem audiamus, qui cum immensam vim auri, argenti, æris, ferri, lignorum et lapidum pretiosorum præparasset in ædificationem templi, dixit : *Opus namque grande est ; neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* I. Par. XXIX. Philonem audiamus, Hebræorum disertissimum : « Etiam si tota terra aurum, (ait in I. de Cherubim) aut si quid auro pretiosius est, repente fieret, moxque per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, aedesque sacras impenderetur, ne scabellum quidem pedibus Dei posset fieri. » Quid ergo nos faciemus ? Audiamus eundem Philonem, mox subjicientem : « Dignum tamen eo domicilium anima est, modo sit idonea. » Quæ cum ita sint, videndum et conandum nobis est hisce diebus, qua ratione animas nostras Deo præparemus in habitaculum tanto principe dignum. Ad hoc enim admonere nos vult Ecclesia per hodiernum Evangelium, dum venturi regis magnitudi-